



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 6. Sæpe sub deformi corpore pulchram animam latere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

tuæ dederunt. Fortasse enim, vt animæ tantò maior esset pulchritudo, corpus meum deforme esse voluisti. Si non dedisti mihi, quod oculos aliorum delectet, dedi. **Iob. 26. 2.** *fti, quod mihi & alijs proficit. Cuius adiutor es, ait Iob ad Deum, numquid imbecillus? & sustentas brachium eius, qui non est fortis?*

§. VI.

Sape sub deformati corpore pulchram animam latere.

In hanc sententiam, ait nonnemo, apud Euripidem,

Δύσμορφος εἶην μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.
Deformis sim potius, quàm pulcher & malus.

Itemq; *Νῦν χρὴ θεάσασθαι. ὃδὲν τι δ'εὐμορφίας ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλάς ἔχει.*
Animus spectandus est. Nihil pulchritudo

lucet, cùm quis mentem non bonam habet,

Et sanè quemadmodum in gemmis, aut alijs lapidibus sæpenumero, sub ignobili colore, latet pulcherrima natura, sic in corpore inuenusto non rarò insignis animus tegitur. Rursusq; vt in ipso adamante po-

te potentissimum est venenum, si contera-
tur, ita contingit, vt formosissimus homo,
mente sit prorsus virulenta. Quid conchis
asperius, quid verrucosum magis? intus
tamen quàm frequenter lucidissimi reperi-
untur vniones? Corpus animi domicilium
est. Vt ergo sæpe vilem casam subierunt
reges, sic, sæpe in exiguo, aut curuo corpo-
re rectæ animæ habitauerunt. Ostendit id
in Aesopo natura, cuius animus cùm ex-
cellens esset, vultus fuit barbarus. Osten-
dit in Galba oratore eloquentiâ claro, sed
quem gibbus ingens premebat, non secus
ac si burdonem ageret, aut asinum clitel-
larium. In eum igitur malignè lusit M.
Lælius, cùm diceret, *ingenium Galba malè
habitare*. Nimirum, vt Aristoteles sapien-
ter pronunciauit: *Deformes naturâ nemo
reprehendit: sed eos, qui ob otium vel negligen-
tiam tales euaserunt.*

Aristot.
lib. 3.
Ethic. c. 5.

§. VII.

Non esse iudicandum secundùm faciem.

Quòd si illos reprehendimus, quos na-
tura deformes fecit, illum reprehendimus,
qui dixit: *Nolite iudicare secundùm faciem, Io. 7. 24.
sed iustum iudicium indicate.* Quid enim de
Christo iudicassent illi, qui et si alioqui es-